

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius
notitiam, informatio**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Dominica XXIII. post trinitatis

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

Sed nihili æstimandum est, respectu tormentorum infernalium, ubi damnati non modo commanducabunt linguas suas præ dolore, Apocalypf. 16. vers. 10.

Sed & sine fine torquebitur, Esa. 66. vers. ult. Id prohibeat à nobis,
DEUS per Christum,
Amen.

Dominica XXIII. post Trinitatis.

Evangelium Matth. 22, v, 15. --- 22.

EXORDIUM.

CUm Sichem filius Hemor adma-
maret Dinam, filiam Jacobi, lo-
cutus ille cum Jacobo, ut daret e-
am sibi uxorem. Quia vero jam
tum vi oppresserat virginem, responderunt
filii Jacob Sichem, & patri ejus in dolo, di-
centes: Non possumus facere, quod petitis,
nec dare sororem nostram homini incir-
cumciso, quod illicitum & nefarium est a-
pud nos. Sed in hoc valebimus fœderari,
si volueritis similes esse nostri, & circumci-
datur in vobis, omnis masculini sexus. Tunc
dabimus & accipiemus mutuo filias vestras,
ac nostras, & habitabimus vobiscum, cri-
musque unus populus.

Placuit oblatio eorum Hemor & Sichem
filii ejus, ut non modo ipsi: sed & omnes,
qui egrediebantur portam civitatis circum-
ciderentur.

Die vero tertio, cum gravissimus esset
vulnerum dolor, duo filii Jacob, Simeon &
Levi fratres Dinæ arreptis gladiis, ingressi
sunt urbem confidenter, interfectisque o-
mnibus masculis, Hemor & Sichem pariter
necaverunt. Gen. 34. v. 1. seqq.

Hæc nefanda est perfidia, quam filii Jaco-
bi in Sichem ejusque subditis perfecerunt,
ideoque in testamento Patris maledictione

afficiuntur: Simeon & Levi fratres, vasa
violentiæ gladii eorum, Gen. 49. v. 5. 6.

Imprimis vero hac in parte nimis inique
egerunt, quod Sichemitis promiserunt, si
circumciderentur, se illis assensuros esse,
cum tamen dolum machinarentur, & jam
secum constituisissent, quod in dolore impe-
tum in eos facere, & omnes trucidare vel-
lent: quod adhuc hodie nimis familiare est
in mundo:

Os nec tar promit, mens aconita vo-
mit.

O quam sæpe Cain cum Habel fratre a-
mice colloquitur, cujus tamen vitæ insidiz-
tur, Gen. 4. 8.

Quoties Joab cum Abner clam pacifice
loquitur, ut occasio commodior sit, ipsum e
medio tollendi, 2. Sam. 3. 27.

Exempla plurima afferri possent, quo-
rum vero compendium facturi, prælectum
Evangelium duntaxat dispiciemus, ubi de
Phariseis audimus, quomodo cum Hero-
dianis consilium inierint, de Christo dolis
fallendo: exterius benevolentiam simula-
runt dicentes: Magister scimus, quia verax
es &c. Sed questio proposita ita compara-
ta erat, ut nullatenus dubitarent, quin ser-
vatore[m] cassibus suis implicaturi essent, ut
vel

vel populi favorem amitteret, vel offensio-
nem Romani Imperatoris incurreret.

Nos sine longiori præfamine ad ipsum
Evangelium nos conferemus, tractaturi ex
eodem :

I. *Ἀγγελωπολογίαν*, sive *notitiam nostræ*.

II. *ἑξισογνώσταν*, sive *notitiam Christi*.

J. J.

Exegesis.

A Marulentus quærit malum : angelus
autem crudelis mittetur contra eum,
Prov. 17, 11. Sancti enim Angeli sunt Dei
legati, qui mandato ejus protectioni pio-
rum, & vindictæ impiorum inserviunt, vel
ut potentes virtute, facientes verbum illius,
Psal. 103, 20.

Hoc proverbium in specie impletum est,
in inimicis Christi, Scribis & Pharisei, qui
verbis ei blandiebantur, sed cogitatio cor-
dis in felle amaritudinis erat, Act. 8, v. 29.
ambiguus quæstionibus ei retia tendentes,
quomodo caperent eum, Psal. 10, 9. Verum
Angelus magni consilii Jesus Christus, Esa.
9, 6. ita insidias eorum disturbavit, ut cum
ignominia recedere coacti fuerint. Exem-
plum hujus rei habemus in prælecto Evan-
gelio, ubi Pharisei Christo periculosam
quæstionem proposuerunt, qua illum illa-
queare voluerunt. Verum Christus ita iis-
dem respondit, ut operam luserint, & infe-
cta re discesserint.

Notitiam nostræ hinc discemus, si specta-
verimus:

1. *Hypocriticam compellationem.* Inquiunt
enim : Scimus, quia verax es, & viam Dei in
veritate doces, & non est tibi cura de aliquo:
non enim respicis personam homi-
num. Hæc omnia in rei veritate ita se habe-

bant, erat enim Magister, & quidem erudi-
tæ linguæ, Esa. 50, v. 4. imo magister ad
salvandum, Esa. 63, 1. Joh. 13, v. 13.

Deinde erat quoque verax, testis fidelis,
Apoc. 1, v. 5. cui impossibile est mentiri,
Heb. 6, v. 18. Joh. 18, v. 37.

Tertio non respicit personam hominum,
est enim omnium Dominus, Act. 10, v. 36.
de quo Esaias : Non secundum visionem o-
culorum judicabit, c. 11, v. 3, 4. Sed Pharisei
ipsi hoc ipso palpum obtrudere volebant, in
animo multo aliter sentientes, ideo Chryso-
stomus ait : *Magistrum vocabant, cujus
esse nolbant discipuli* : Verum impostorem
credebant, qui subverteret gentem, & à le-
ge Mosaica seduceret, quo postea eum ac-
cusarunt titulo coram Pilato, Luc. 23,
vers. 2.

*Hic examine, mi Christiane, annon &
ipse ejusmodi adulator fueris, qui in præsen-
tia pastorem innum ratione fervoris sui lauda-
veris, quod peccata debito zelo reprehendat, à
tergo vero & in corde, ipsum odio & invidia
prosecutus fueris occasione captans, te ulci-
scendi.*

Hoc hodie non adeo rarum est, siqui-
dem hypocrisis, fraus & blanditiæ in arte
habentur. Imprimis vero verbi ministri
melle circumlita pocula sæpius deprehen-
dunt : Quia enim mundi perversitatem &
flagitia, quibus totus immerfus est, repre-
hendere tenentur, nihil aliud, nisi *odium
pro labore ipsis expectandum*, ad exemplum
omnium Prophetarum qui fuerunt ante e-
os, Matth. 5, v. 12. At plerique tales videri
nolunt : sed phaleratis suis dictis ducunt eos,
dum occasione ulciscendi potiantur, ubi vi-
rulentiam suam evomunt. Hoc mundi
ingenium est, ut ipse Christus docet. Joh.
15, v. 19.

Ve-

Verum ut ut ejusmodi homines, mirifice sibi lenociniis hujusmodi placeant, tamen verum manet, quod Cicero jam olim de ipsis dixit; *Totius in justitia nulla capitalior est, quam eorum, qui cum maximo fallunt, id tamen agunt, ut viri boni esse videantur.* Quando vocem suam gratiosam faciunt, septem abominaciones sunt in corde illorum, Prov. 26. v. 25.

Nostrium proinde est, studiosè provide-re nobis, ne exitio nobis sint. Multi pacifici tibi sint, & consiliarius sit tibi unus de mille, Sir. 6. v. 6. Si dicunt, mi frater, tu cogites es ater: si dicunt Domine, intellige, nomine: si dicunt Amice, intellige, inimice! Multæ enim sunt insidiæ dolosi, Sir. 11. 31.

De his verum est illud Augustini: *Difficile vitatur, qui in labiis bona portat, & in corde mala occultat.* Ideo Deum invocare debemus, ut nos ab insidiis eorum custodiat.

A Joabi alloquio,
Ab Absalonis convivio,
Ab Ischariotis ave,
A Diatii salve.
Ab Herodis redite
A Gallorum venite,
Libera nos Domine.

II. *Captiosam tentationem.* Capere enim volebat eum in sermone, ideo ejusmodi quæstionem ei proponebant, de quatum temporis multum disputabant inter Judæos, an liceat censum dare Cæsari annon?

Hic sycophantæ hi cogitabant, si Christus affirmativam statueret, quod censum Cæsari dare debeant, hoc ipso eundem contra libertatem populi locuturum, adeoque odium illius, qui invite censum Cæsari dabat, incursum esse: Sin autem negativam:

Herodiani aderam, qui hoc ipsam Herodi renunciare, eumque seditionis reum accusare potuissent.

Hi erant laquei, quos Christo capiendo explicaverant: sicut auspices retia sua habent, quæ quandoque operiunt, ne volucres abstercantur, sed libentius advolent, dum vero cibus projectis frui volunt, ex improviso capiuntur, sicut vox *παγιδεύειν* in Græco indicat: ita & Christum quæstione hac inescare voluerunt, ut confidenter veritatem profiteretur, quo cum illaquearent in sermone suo.

Hic probare, mi Christiane! utrum & ipse verbis fucis oblitis & ad gratiam comparatis, proximo insidias struxeris, ut eum in sermonibus captum in periculum adduceres?

Hoc itidem nihil novi est. Julianus Apostata interrogavit Christianos, utrum omnia pro vero haberent, quæ Christus dixerit. Respondentibus, quod merito: bona eorum confiscavit, pratendens, se ipsos expeditiones reddere ad regnum cælorum capiendum, quia Servator dixerit: Beati pauperes Math. 5, 3.

Adhuc hodie nihil familiarius est, quam quod alter alterius sermonem eliciat, & ubi quid captavit, quod in rem suam esse videtur, eo defert, ubi proximo nocumento futurum, arbitratur.

Hic diaboli mos est: cum enim ille Protoplastos nostros seducturus esset, ansam quærebat cum Eva colloquendi: verba factum sequebatur, ut de fructu vetito decerneret, & comederet, Gen. 3. v. 7. Sic adhuc hodie hominem nihil facilius in periculum adducere potest, quam lingua. Manus & pedes, oculi & aures haud difficulter gubernantur, linguam autem nullus hominum domare potest, incoercibile malum, plena veneno

нено mortifero, Jac. 3. v. 8. Quia enim quot capitot sensus, ideo vix aliquis invenitur, qui omnibus ad placitum loqui possit: quinimo, si quis in tota vita sua inculpabilis foret, facile tamen per linguam labi poterit, hinc Jacobus iterum: Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir, Jac. 3. v. 2.

Optimum Jobum diabolus invaserat in liberis, pecoribus, & dibus, imo & in corpore: & omnia ejus membra adeo deformarat, ut à capite ad calcem nihil sani reliquum esset, præter linguam, hanc propterea illam reliquerat, ut inter tantos dolores verbis peccaret, & ex impatientia Domino malediceret, quia in tota ejus vita nihil mali invenire poterat. Nec omnino id eum fefellit: Quandoque enim talia effundebat, quorum postea pœnitentia ducebatur, Job. 42. v. 3.

Hoc adhuc hodie ita machinatur: & quando alias hominem non facile per opera & facta ad lapsum seducere potest, insidiatur linguæ, ut adversus Deum aut proximum sese exerat: quod si non succedit, tamen per homines malos etiam benedicta depravare potest, ut innocentes in discrimen adducat. Quale exemplum habemus in Doeg, qui Sacerdotem Abimelech apud Saulem ita calumniatus est, ut cum octoginta tribus sacerdotibus occisus fuerit, 1. Sam. 22. v. 2. 9.

Ideo summa hic cautione opus est, nam mors & vita in manibus linguæ, Prov. 18, 21. Sir. 23. v. 7. c. 28. v. 28. 29. 30.

III. Nervosa explicationem. Primo enim Christus fraudulentias eorum manifestat, dicens: Quid me tentatis hypocritæ? Cognovit enim nequitiam eorum, velut cordium scrutator, qui omnia sciebat, quæ

essent in homine, Joh. 2. v. ult. Deinde ostensum sibi vult numisma census, quo oblato, quarit: Cujus est imago hæc & superscriptio? non quasi ignoraret: sed ut ipsos proprio, ut dicimus, gladio jugulare posset. Expedite illi respondebant: Cæsaris. Tunc Christus ait illis: Reddite ergo, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo. q. d. Quod si Romanus Imperator monetam cudit in regione vestra: pro Domino quoque vestro eundem agnoscite, cui census jure debeatis. Nec obstat, quo minus ita Dei populus esse, eique debitum cultum præstare possitis. siquidem ex Imperatoris concessione hæc habetis. Interea & suam obedientiam, cui & obstricti estis, à vobis requirit: siquidem ipsi videtis, quod justo Dei judicio sub potestatem Romanorum redacti estis. Hoc ejusmodi erat responsum, quod nunquam expectassent; ideo audientes mirati sunt & relicto illo, abierunt.

Hic te ipsum proba, mi Christiane! an responsum Servatoris tui & ipse observaveris, & tam Deo, quæ Dei sunt, & Cæsari, quæ Cæsaris sunt, fideliter reddideris?

Numisma census, quod Judæi Christo monstrarunt, ejusmodi inscriptionem habuit. Ex uno latere, impressa erat imago Tiberii Cæsaris, tum Imperium tenentis, cum hac inscriptione: *Tiberius Cæsar, divi Augusti filius Augustus*. Ex altero latere, imago victoriæ, videlicet mulier, galeam in capite gerens, dextera hastam, sinistra ramum palmæ ferens, cum hoc titulo: *Pontifici Max.*

Erat itaque numisma honoris, ratione Cæsareæ imaginis, quam subditi semper in honore habere debent. Sed & numisma victoriæ erat, ratione cujus subditi sibi in memoriam revocare debebant præclara illa beneficia, quæ Imperatori accepta ferrent.

Ecc Ita

Ita enim gloriose vicerat, ut ubique præsertim in Judæa pax floreret. Præterea & religionem intactam relinquebat, ut illam sine impedimento sub imperio Romanorum exercere possent.

Quod igitur debitum nostrum erga magistratum, imprimis vero erga Deum declarare velimus requiritur à nobis.

1. *Geminus honoris denarius.* Et quidem quod magistratum attinet, ut debito eundem honore afficiamus, sunt enim Patres patriæ, Gen. 41. v. 43. Sicut igitur filius obstrictus est, patrem suum honorare, Mal. 1. 6. Sic & magistratui honorem convenientem debemus, juxta illud Petri: Deum timete, Regem honorate, 1. Petr. 2. 17.

Deo vero tribuamus denarium honoris, verbum ejus diligendo, & super millia argenti & auri æstimando, Psal. 119. v. 72. indefinenter orando, 1. Thess. 5. 16. temperanter juste & pie vivendo, Tit. 2. v. 12. tribulationem patiendo, Rom. 12. 12. & ita imagini ejus nos confirmando, Rom. 8. v. 29. ita enim glorificamus Deum in corpore nostro, ad exemplum Christi, 1. Cor. 6. 20.

2. *Geminus victoria denarius.* Tiberius Judæis pacem pepererat, ideo merito illi dederunt denarium victoria & pacis, juxta instructionem Christi: Date Cæsari quæ sunt Cæsaris. Idem & nobis dictum est: quia enim sub tutela illorum quietam vitam agere, 1. Tim. 2. 2. & in pace ingredi & egredi possumus, Zach. 8. v. 11. nostrum quoque erit, ut de terrenis facultatibus nostris ei largiamur quo victoria & pax porro continetur, juxta illud: cui tributum, tributum, Rom. 13. 7. exemplo parentum Christi, Luc. 2. v. 1. & Christi ipsius, Matth. 17. v. ult. Dignus enim est operarius mercede sua, Luc. 10. 7. Hunc victoria denarium Deo quoque debemus,

propter Christum, qui pax nostra est, Eph. 2. v. 14. Justificati enim fide pacem habemus, Rom. 5. 1. ideoque confidenter clamare possumus: Abba pater, Rom. 8. v. 15. Victoriæ ille obtinuit, quando cum adversariis suis disputavit, in diebus carnis suæ, ut præsens Evangelium probat. Palmam quoque repotavit in gloriosa resurrectione sua, postquam hostes spirituales debellavit, & victos suos emisit de puteo, in quo non est aqua, Zach. 9. v. 11. Col. 2. v. 15. Palma quoque potius est in triumphante ad cælos ascensione, ubi

Belliger ad cælos ampla trophæa tulit,

ut Fortunatus scribit. Dum sedit ad dexteram Majestatis Dei, Hebr. 1. v. 4. super omnes cælos, Esa. 4. v. 10. ita ut magna virtute nobiscum sit, omnibus diebus usque ad consummationem sæculi, Mat. 28. 20. Mar. 16. v. 19.

Ideo victoria hunc denarium Domino debemus cum debita gratitudinis ergo pro plenissima redemptione: tum etiam memoriam ergo, ut porro nos sibi commendatos habeat.

De Secundo.

TRansibimus nunc ad alteram partem, *2815271001. v. sive notitiam Christi*, contemplaturi. Hic nobis considerandus proponitur:

1. *Tanquam ingenuus concionator*, quem adversarii ejus præclara quoque laude ornant:

1. *Propter scientia soliditatem*, vocant enim eum magistrum, qui alios cum fructu docere valeat. Quod à nobis eo pluris fieri debet, quia ab inimicis ejus dictum est, imprimis

primis quando dicta illa scripturæ inspici-
mus, quæ tantam illi sapientiam assignant,
quæ omnium angelorum & hominum sa-
pientiam longo intervallo excedit, in ipso e-
nim omnes sapientiæ & scientiæ thesauri
absconditi sunt, Col. 2. v. 3. Quinimo requie-
scit super eum, spiritus sapientiæ & intelle-
ctus, spiritus consilii & fortitudinis, spiritus
scientiæ & timoris Domini, Esa. 11. 2.

2. *Propter doctrinam veritatem.* Scimus e-
nim, inquit, quia verax es, & viam Dei in
veritate doces. Hæc reapse ita se habent.
Non enim inventus est dolus in ore ejus,
1. Pet. 2. vers. 22. Ideo ipse inquit ad Judæos:
Quis vestrum arguet me de peccato? Joh. 8.
v. 45.

3. *Propter animositatem.* Non enim, ajunt,
respicias personam hominum. Hoc ipsi ita
experti fuerant. Subinde enim ipsos pro-
pter peccata objurgaverat, & vix ingemina-
verat, Matth. 23. v. 13. & seqq. Ita dixit ad Re-
gium: Nisi signa & prodigia videritis, non
creditis, Joh. 4. 48. & ad Pilatum, superbien-
tem cum potentia sua: Non haberes po-
testatem adversus me ullam, nisi tibi datum
esset desuper, Joh. 19. v. 11.

In his virtutibus Christus omnibus Con-
cionatoribus exemplo suo prævit, qui pro-
pterea cum imitari debent. Sit ergo con-
cionator:

1. *Didascalus*, qui in Prophetis vacavit,
Sir. 31. v. 1. juxta illud: Antequam loquaris
disce, Sir. 18. v. 19. Sic de Esdra dicitur,
quod fuerit scriba velox in lege Dei, Esdr.
7. 6. & Apollo commendatur, quod fuerit
vir eloquens, potens in Scripturis, Act. 18.
v. 24. Hinc Paulus requirit ab Ecclesiæ
ministro, ut potens sit exhortari in do-
ctrina, Tit. 1. 9.

2. *Periloquus.*

1. *In verbis.* Est enim omnes homines
veritati studere, & mendacia vitare debent,
quæ opprobrium nequam sunt in homine,
Sir. 20. 26. tamen concionatores imprimis
veritati operam dare debent, ut rationem
fidei habeant, Rom. 12. v. 6. tam in doctri-
na, quam in reliquis actionibus suis, & præ-
cipue in opere elenchico. Labium enim
veritatis firmum erit in perpetuum, Prov. 12.
v. 19.

2. *In factis*, ut exemplo Auditoribus suis
præeat, & dicere possit: Hæc est via, ambu-
late in ea, Esa. 30. 21.

3. *Magnanimus.* Officium enim Dei est,
qui est Dominus messis, Matth. 13. v. 4. &
conducit fideles operarios in vineam suam,
Matth. 20. 1. Sicut igitur Deus personarum
acceptor non est, Act. 10. 34. sic neque con-
cionator personam respicere debet: sed cui-
libet iniquitatem suam annunciare, alias
Deus sanguinem peccatoris à manu ejus re-
quiret, Ezech. 4. v. 18. Hoc si fecerit, De-
us incrementum dabit labori suo, ut se ipsum
salvum faciat, & eos, qui se audiunt, 1. Tim.
4. v. 16.

II *Tanquam Consiliorum dissipator.* Hic
Phariseos in bivio quasi stare audimus, nec
dubitant illi, quin Christus alterutra via in-
cedere cogatur, ut aut Romani Imperato-
ris offensionem incurrat, aut plebis favo-
rem amittat: Sed Christus viam novit,
quam ipsi ignorant, & ita consilia eorum
disturbat, ut suis ipsius verbis irretiantur &
capiantur.

Hinc gaudio exulta, mi Christiane! Hæ-
bes enim Deum & Servatorem omniscium,
quem non præterit omnis cogitatus, &
non abscondit se ab eo ullus sermo, Sir. 42.
v. 20.

Ecc 2

Quin-

Quintus Metellus, nobilis ille Eques copias suas ex uno monte in alium deducebat, hoc quidam familiarium admiratus, quæfivit ex illo: quid animi haberet? Sed ille respondit: Si scirem, vestem meam nosse consilia mea, statim exurerem & comburerem. Similem in modum hæretici & Tyranni arcana sua non cuivis manifestant: sed technas & insidias suas, quas in cordis abyssis absconditas habent, adeo occultare non possunt, ut Christum fugiant, ut pote qui habet oculos Majestatis, quibus profundum abyssi, & hominum corda intuetur in absconditis partibus. Sir. 23. v. 28.

Habes quoque Servatorem sapientissimum, qui dissipat cogitationes astutorum, ne possint implere manus eorum, quod ceperant, Job 5. vers. 13. quin sæpe in foveam, quam aliis fecerant, ipsos præcipitat, ut exempla probant.

Pharao Israelitas se suffocaturum putabat: sed ipse cum omnibus suis fluctibus involutus est, nec unus quidem superfuit ex eis, Exod. 14. 28.

Haman lignum paraverat Mardocheo, habens altitudinis quinquaginta cubitos, sed ipse suspensus est in eo. Esther. 7. v. 9. 10.

Principes Persarum effecerunt, ut Daniel in lacum leonum abjiceretur: sed ipse indemnis evasit, illi vero in lacum leonum missi sunt, ubi continuo à famelicis leonibus arrepti, & ossa eorum quoque comminuta sunt, Dan. 6. 24.

Hinc Siracides: Qui in altum mittet lapidem, super caput ejus cadet, Sir. 27. v. 28. 29. 30.

III. *Tanquam Magistratus politici commendator.* In prælecto Evangelio verba facit pro Imperatore Romano, qui gentilis, Christianæ religioni addictus non erat. Non enim est potestas, nisi à Deo; quæ autem sunt potestates à Deo ordinatæ sunt. Roman. 13. vers. 1. Ideo Dii illi appellantur, Psalm. 82. vers. 6. ratione maximæ potestatis, quæ pollet non vero à seipso: sed à Deo, qui ipsos constituit, Dan. 2. v. 21. & aliquando interrogabit opera illorum, & cogitationes scrutabitur, Sap. 6. 4.

In hoc statu vixit *Patriarcha Abraham*, qui Princeps & Dux fuit, qui cum quinque Regibus in aciem descendit, eosque profligavit, Gen. 14. 14.

Sicut & *Josephus*, Gen. 41. 41. & *Moses*, Exod. 34. & seqq.

Hoc in statu quoque fuit *David*, qui vir ad eorum Dei erat, 1. Sam. 16. v. 13. ut & filius *Salomo*, cui Dominus bis apparuit, 1. Chr. 29. v. 5. Similiter *Hiskias*, *Josias*, *Josaphat*, aliique plures.

Hoc in statu vixit *Joseph ab Arimathia*, qui Senator erat Hierosolymitanus, & simul discipulus Jesu, expectans regnum Dei, Matth. 27. 57. Luc. 23. 51.

Quis fuit *Centurio Capernaicus*, cujus fidem Servator adeo extollit? Matth. 8. vers. 10. Quis *Cornelius Casarea*, Act. 10. vers. 1. *Sergius* in civitate Papho, Act. 13. vers. 6. *Publius* in Insula Melita, Act. 28. vers. 7. Nonne in Magistratu constituti, simul quoque Ecclesiæ veramembra fuerunt? Est itaque *status politicus status sanctus*, in quo salva conscientia Deo servire & placere potes. Per me re-

ges

ges regnant, & legum conditores iusta discernunt, Prov. 8, 15.

Sed & status omnino necessarius est, quem Deus ordinavit ad tutelam bonorum, & vindictam male agentium, Rom. 13. vers. 4. Eo Christus respicit cum vocula, ἀπόδοτε, Reddite Cæsari, quæ ab eo accepistis, & indicat, quod sine patrocinio Magistratus nihil conservare possimus. Ubi enim non est consilium, populus corruet: salus autem, ubi multi sunt Consiliarii, Pro. 11. v. 14.

Quid grex est sine pastore? Quid navis sine nauclero? quid corpus sine anima? quid hortus sine sepe? quid urbs sine mœnibus? Nonne oves pastore destituti in devia aberrant? Nonne navis colliditur aut submergitur, gubernatore carens? Nonne corpus interit, quando anima expirat? Nonne hortus subvertitur, & vastatur, quando sine sepimento est? Nonne civitas sine munimento facile occupatur? Sic si Magistratus non essent, tanto confusio foret, ut nemo ad momentum securitate frui posset, Das niemand ohne Pickelhauben würde sicher zum Fenster hinauf gucken dürfen / ut Lutherus loquitur. Liberi insurgerent contra parentes: Auditores adversus Concionatores: Subditi contra Magistratum, vicinus adversus vicinum, pacatum cum tremore comederes, &

aquam tuam cum tremore & mœrore biberes, Ezech. 12, 18. Homines errarent quasi reptile, non habens principem, Habac. 1, 14. & sicut oves absque pastore, Num. 27. v. 17.

Debito igitur honore, officiis debitis prosequamur Magistratum, propter Deum, 1. Petr. 2. v. 13. Qui Deum timent, rector illorum in honore, Sir. 10. v. 24. Filii vero belial sunt, qui magistratui detrahunt, eumque despiciunt, uti appellantur, 1. Sam. 10. v. ult.

Christus Servator noster vult, ut demus Deo, quæ Dei sunt, quod à nobis fit, quando Cæsari & Magistratui nostro damus, quod illis debemus, nimirum amorem, honorem, obedientiam, subjectionem, censum, vectigal, tributum, & id genus alia, sunt enim Dei ministri, Rom. 13. v. 4. & ministri regni illius, Sap. 6. v. 5. & quodcunque ipsis exhibemus sive bonum sive malum, id Deus sibi factum reputabit: Ideo inquit ad Samuelem: Non te abjecerunt, sed me, 1. Sam. 8. v. 7. Contra vero David manum suam contra Saulem extendere noluit, propterea Deus ei benedixit, ut in regno successerit eidem, ut Saul ipse prædixerat, 1. Sam. 24. v. 20, 21.

Adjuvet nos Deus, ut hæc omnia ita observemus, ad ipsius gloriam, & nostrum emolumentum, per Christum Dominum & Servatorem nostrum,
Amen,